thesauri impietatis. iusticia uero libe-
rabit a morte. Non affliget dominus fame
animam iusti. et insidias impiorum sub-
uertet. Egestatem operata est manus
remissa. manus autem fortium diuitias
parat. Qui congregat in messe. filius
sapiens est. Qui autem stertit estate
filius confusionis. Benedictio domini
super caput iusti. os autem impiorum ope-
rit iniquitatem. Memoria iusti cum lau-
dibus. et nomen impiorum putrescet.
Sapiens corde precepta suscipit. stul-
tus ceditur labiis. Qui ambulat sim-
pliciter. ambulat confidenter. Qui au-
tem depravat vias suas. manifestus
erit. Qui annuit oculo dabit do-
lorem. stultus labiis uerberabitur. Vena
uite os iusti. et os impiorum operit
iniquitatem. Odium suscitat rixas.
et uniuersa delicta operit caritas.
In labiis sapientis inuenitur sapien-
tia. et uirga in dorso eius qui indi-
get corde. Sapientes abscondunt
scientiam. os autem stulti confusioni
proximum est. Substancia diuitis
urbs fortitudinis eius. pauor pau-
perum egestas eorum. Opus iusti ad
uitam. fructus autem impii ad
peccatum. Via uite custodienti di-
sciplinam. qui autem increpationes re-
linquit errat. Abscondunt odium
labia mendacia. qui profert contu-
melias insipiens est. In multiloquio
peccatum non deerit. qui autem mode-
ratur labia sua prudentissimus est.
Argentum electum lingua iusti cor

impiorum pro nichilo. Labia iusti erudiunt
plurimos. qui autem indocti sunt in
cordis egestate morientur. Benedictio
domini diuites facit. nec sociabitur eis
afflictio. Quasi per risum stultus operatur
scelus. Sapientia autem est uiro pru-
denti. Quod timet impius ueniet
super eum. Desiderium suum iustis da-
bitur. Quasi tempestas transiens non
erit impius. iustus autem quasi funda-
mentum sempiternum. Sicut acetum
dentibus. et fumus oculis. sic piger
his qui miserunt eum. Expectatio
iustorum leticia. spes autem impiorum
peribit. Fortitudo simplicis uia domini.
et pauor his qui operantur malum. Iu-
stus in eternum non commouebitur. im-
pii autem non habitabunt super terram.
Os iusti parturit sapientiam. lingua
prauorum peribit. Labia iusti con-
siderant placita. et os impiorum per-
uersa. Statera dolosa abhominatio
est apud dominum. et pondus equum
uoluntas eius. Ubi fuerit superbia.
ibi erit et contumelia. Ubi autem hu-
militas ibi et sapientia. Simplicitas
iustorum diriget eos. et supplantacio
peruersorum uastabit illos. Non proderunt
diuitie in die ultionis. Iusticia autem
liberabit a morte. Iusticia simplicis
diriget uiam eius. et impietate sua
corruet impius. Iusticia rectorum libe-
rabit eos. et in insidiis suis capientur
iniqui. Mortuo homine impio nulla
erit ultra spes. et expectacio solli-
citorum peribit. Iustus de angustia li-

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 14, fol. [11]v – Noted breviary (https://fragmentarium.ms/view/page/F-m557/7123/69836)